



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 48. Gelasius fugit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

Sæculum XI. set, itinere strenue confecto, hujusmodi
 A.C. 1118 mandata Papæ renunciari jusserat: *Si pæ-*
Ursperg. an. *ta inter me & Paschalem inita confirma-*
 1118. *re volueris, te Papam salutabo, & jure-*
jurando fidem dabo. Si recusas, faciam
ut eligatur alius, quem in possessionem Ec-
clesiæ Romanæ immittam. Nam Impera-
 tores jus sibi esse asserebant, novi Papæ
 electionem approbandi.

§. XLVIII.

Gelasius fugit.

Igitur Gelasius certior factus, quam gra-
 vis immineret Imperator, beneficio
 noctis usus fugere statuit, & licet jam
 pene senio & infirmitate confectus, equo
 imponi sustinuit. Reliquum deinde no-
 ctis in domo cujusdam civis, nomine
 Bulgamini, latuit. Ubi illuxit, Papa &
 fugæ socii undique angustiis premeban-
 tur; tutum haud erat in urbe manere,
 nec itinere terrestri elabi poterant, Ger-
 manis vias omnes obsidentibus. Ergo
 mari se committere statuunt, duas trire-
 mes conscendunt, quibus usque ad Por-
 tum devecti sunt. Ibi aliquamdiu hæ-
 rendum fuit, quod vela facere aeris in-
 temperies non permetteret; graves enim
 pluvix, grandines, tonitrua obstabant,
 commoti surgebant fluctus Tiberis, fure-
 bat mare, e litore Germani tela toxico
 illita jaciebant, qui hostes suos non ter-
 ra

ra solum, sed etiam mari consecuturos esse comminabantur, & pœnas repetituros, nisi Papam dederent. Sed ruens nox & turbulenta tempestas prohibuit, ne destinata exsequerentur. Interim Hugo Cardinalis Alatriensis Papam faventibus noctis tenebris in humeros suos impositum ad Castrum S. Pauli Ardeam deportavit. Prima luce, redeunt ad portum Germani, quibus jurejurando fides facta, Papam fuga se subtraxisse. Iphis deinde recedentibus, reducitur noctu ad portum Papa, qui cum suis nave conscensa, die tertia, vix spiritum trahens, terræ Tarracinensi appulsus est, & quarta portum Cajetæ intravit.

Ibi Gelasius humanissime, nempe in patria sua, exceptus est, & fama adventus ejus per illam Regionem sparsa, plurimi Episcopi, ac inter alios, Senes Archiepiscopus Capuanus, Landolphus Beneventanus, Alphanus Salernitanus, Geraldus Abbas Cassinensis, Sigenuphus de Caveis confluerunt. Imperator Cajetam quoque misit, qui Papam rogarent; Romam rediret, & ibi consecrari vellet, se enim ardentissime cupere huic Cæremonia interesse, ac eam sua præsentia confirmare. Denique nullum efficacius ad restituendam concordiam remedium fore, quam si ambo præsentem sermonem confererent. At non persuasit, quod

Sæcul. XII.
A.C. 1118.

Falc. Benev.

Sæcul. XII.
A.C. 1118.

quod volebat, Imperator Gelasio, quem olim cum Paschale Papa captum vinculis constrinxerat. Ergo respondit Papa; se vero mora omni abjecta Ordinationem accepturum esse, tumque ad deliberandum de pace præsto futurum, ubicunque Imperatori commodum videretur. Nec mora, Gelasius in ipsa urbe Cajetana primum Presbyter ordinatur, tumque etiam Episcopus consecratur, præsentibus cunctis, quos memoravi Præsulibus, atque etiam Guilielmo Apuliæ Duce, Roberto Principe Capuæ, & pluribus aliis Principibus, qui omnes Pontifici fidem jurarunt. His sub finem mensis Februarii peractis, Papa tota Quadragesima Cajetæ consumpta, Capuam se contulit, celebraturus Festum Paschale, quod illo anno millesimo centesimo decimo octavo in diem decimam quartam Aprilis incidebat.

§. XLIX.

Burdinus Antipapa.

Henricus vero Imperator, Gelasii responso irritatus, ut, quod minatus fuerat, efficeret, alium Papam ei opponere statuit, atque ad hanc provinciam subeundam Archiepiscopum Bracarensem elegit, a quo anno superiore Imperator coronatus fuerat. Erat is Mauriti-
us Burdinus, in Territorio Lemovicensi